AD QVODLIBETARIAM
QVÆSTIO MEDICA.

Matutinis concertationibus agitanda Die Iouis XVI. Decembr. in Scholis Medicorum Paris. M. Iacobo Læto Doctore Medico Præside.

An mulieri quàm viro Venus aptior?

HVMANVM corpus non tam à calore, quàm à proprijs elementis fluxui est obnoxium: quæ remissis qualitatibus, vt in id conuenere, ita vices incertas contulere: sua cuique μοῖρα πεπρωμένη: ex contrarijs generatio: ad quam, corporum sexúsque distinctio, & partium opportunitas, seminis item duorum excretio omnino necessaria est, ita vt Venus tam maris, quàm fœminę genitrix & conseruatrix, pro vario vtriusque habitu & temperamento, his aut illis plùs minúsve conducat, pituitosis multum, biliosis parum.

VIR perfectissimum naturæ opus, cælestis caloris copia mulierem vincit, ex semine quippe calidiori (Quod vt & fœmineum, in quo etiam vis mascula, est excrementum vltimi alimenti, animatum, à toto corpore deciduum, sola vi testium prolificum) in dextris & ex dextris partibus, quæ sinistris calidiores sunt: vnde eius in vtero celerior conformatio, motus, partus: Extra, auctio, pubertas, senectus tardior: corpus πολυαιμότερον, venosius, torosius, hirsutius, rarius, sensus exquisitior: voluptas in congressu maior, sed quantò maior, eò periculosior, causa multorum morborum.

MVLIER, quasi naturæ πάρεργον, ex materia serosa, spirantibus præsertim austris, concepta, in frigidiore regione vteri (qui muliebrium omnium morborum est causa) citiùs fit viripotens, semẽnque emittit, licet minùs coctum, quo nutritur virile semen, partium solidarum principium: incontinens & iracunda mores habet non venerandos vt mas: corpore glabro, molli, laxo, pingui, pituitoso, & planè morboso, ni fluant menses (ne dicam semen) qui sæpe in icterum, hydropem, cachexiam desinunt: tantus est natiui caloris defectus, vt mulier (quæ sola molam non concipit) viro comparata omnino frigida humida censeatur.

BILIS in viris ætate florentibus (ad quos Venus, si ad vllos, pertinet) dominatur: quæ, quò intensior, eò humidum radicale minus: senium, mors propinquior: Quam ætatem valde infestant: crebra meri potatio, vnde rigor & desipientia: cibus præter naturam plus ingestus: vigilia, à qua conuulsio, & cruditas: fames, vbi laborandum non est: æstas, qua ventres frigidissimi: timor atque mœstitia, quæ melancholiam accersunt: sed omnium maxime, multa seminis profusio: Qua, Cerebrum mentis domicilium: Cor fons vitæ: Hepar sanguinis officina: & totum corpus temperamento natiuo mutato contabescit: delirant senes, desipiunt pueri quibus curæ est Venus.

FVROR est insignis equarum: mulier παιδοποιΐας appetitu, veluti libidinis œstro percita, quauis ætate, & quouis anni tempore, (æstate tamen potissimum) præter aliarum animantium consuetudinem, marem libenter admittit: nec semel admisisse satis, iuuat vsque morari: virum cunctando lassat, & tandem viribus exhaustum contra obnitendo pessundat, atque debellat: *Quot viros absorbeat vno Maura die?* Ipsa interim nihil damni passa, imò longè vegetior, lætior & sanior ex duello redit: superfluis omnibus humoribus crassis & pituitosis, congrediendi assiduitate, vt & vini generosi, quo salubriùs vtitur, facultate, incisis, coctis dissipatis: vir sine magna ipsius pernicie, sic veneri diuturniori par esse vix ac ne vix quidem potest.

Ergo Mulieri quàm viro Venus aptior.



Asserebat CAROLVS BVVARDVS Vindocinensis Anno Domini 1604.

DOCTORES DISPVTATVRI.

Ma. Dionysius Guerin.
Ma. Iacobus Letus Præses.
Ma. Ioannes Riolan Profess. Reg.
Ma. Andreas le Gros.
Ma. Ioannes de Renou.
Ma. Petrus Pijart.
Ma. Ioannes Beauchesne.
Ma. Ioannes Riolan.
Ma. Ioannes Hautin.